

Epistola Catholica B. Jacobi Apostoli

Cap. 1 **1** **Jacobus, Dei et Domini nostri Jesu Christi servus, duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione, salutem.**

2 **Omne gaudium existimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis : **3** scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur. **4** Patientia autem opus perfectum habet : ut sitis perfecti et integri in nullo deficientes. **5** Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat : et dabitur ei. **6** Postulet autem in fide nihil hæsitans : qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur : **7** non ergo æstimet homo ille quod accipiat aliquid a Domino. **8** Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis. **9** Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua : **10** dives autem in humilitate sua, quoniam sicut flos fœni transibit ; **11** exortus est enim sol cum ardore, et arefecit fœnum, et flos ejus decidit, et decor vultus ejus deperiit : ita et dives in itineribus suis marcescet. **12** Beatus vir qui suffert tentationem : quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. **13** Nemo cum tentatur, dicat quoniam a Deo tentatur : Deus enim intentator malorum est : ipse autem neminem tentat. **14** Unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus, et illectus. **15** Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum : peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem. **16** Nolite itaque errare, fratres mei dilectissimi. **17** Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. **18** Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus.**

19 **Scitis, fratres mei dilectissimi. Sit autem omnis homo velox ad audiendum : tardus autem ad loquendum, et**

tardus ad iram. **20** Ira enim viri justitiam Dei non operatur. **21** Propter quod abjicientes omnem immunditiam, et abundantiam malitiæ, in mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras. **22** Estote autem factores verbi, et non auditores tantum : fallentes vosmetipsos. **23** Quia si quis auditor est verbi, et non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo : **24** consideravit enim se, et abiit, et statim oblitus est qualis fuerit. **25** Qui autem perspexerit in legem perfectam libertatis, et permanserit in ea, non auditor obliviosus factus, sed factor operis : hic beatus in facto suo erit. **26** Si quis autem putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio. **27** Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem, hæc est : visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc sæculo.

Cap. 2 **1** Fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi gloriæ. **2** Etenim si introierit in conventum vestrum vir aureum anulum habens in veste candida, introierit autem et pauper in sordido habitu, **3** et intendatis in eum qui indutus est veste præclara, et dixeritis ei : Tu sede hic bene : pauperi autem dicatis : Tu sta illic ; aut sede sub scabello pedum meorum : **4** nonne judicatis apud vosmetipsos, et facti estis iudices cogitationum iniquarum ? **5** Audite, fratres mei dilectissimi : nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se ? **6** vos autem exhonorastis pauperem. Nonne divites per potentiam opprimunt vos, et ipsi trahunt vos ad judicia ? **7** nonne ipsi blasphemant bonum nomen, quod invocatum est super vos ? **8** Si tamen legem perficitis regalem secundum Scripturas : Diliges proximum tuum sicut teipsum : bene facitis : **9** si autem personas accipitis, peccatum operamini, redarguti a lege quasi transgressores. **10** Quicumque autem totam legem servaverit, offendat

autem in uno, factus est omnium reus. **11** Qui enim dixit : Non mœchaberis, dixit et : Non occides. Quod si non mœchaberis, occides autem, factus es transgressor legis. **12** Sic loquimini, et sic facite sicut per legem libertatis incipientes judicari. **13** Judicium enim sine misericordia illi qui non fecit misericordiam : superexaltat autem misericordia iudicium.

14 Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat ? numquid poterit fides salvare eum ? **15** Si autem frater et soror nudi sint, et indigeant victu quotidiano, **16** dicat autem aliquis ex vobis illis : Ite in pace, calefacimini et saturamini : non dederitis autem eis quæ necessaria sunt corpori, quid proderit ? **17** Sic et fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa. **18** Sed dicet quis : Tu fidem habes, et ego opera habeo : ostende mihi fidem tuam sine operibus : et ego ostendam tibi ex operibus fidem meam. **19** Tu credis quoniam unus est Deus : bene facis : et dæmones credunt, et contremiscunt. **20** Vis autem scire, o homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est ? **21** Abraham pater noster nonne ex operibus justificatus est, offerens Isaac filium suum super altare ? **22** Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius : et ex operibus fides consummata est ? **23** Et suppleta est Scriptura, dicens : Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam, et amicus Dei appellatus est. **24** Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum ? **25** Similiter et Rahab meretrix, nonne ex operibus justificata est, suscipiens nuntios, et alia via ejiciens ? **26** Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est.

Cap. 3 **1** Nolite plures magistri fieri fratres mei, scientes quoniam majus iudicium sumitis. **2** In multis enim offendimus omnes. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir : potest etiam freno circumducere totum corpus. **3** Si autem equis frena in ora mittimus ad

consentiendum nobis, et omne corpus illorum circumferimus. ⁴ Ecce et naves, cum magnæ sint, et a ventis validis minentur, circumferuntur a modico gubernaculo ubi impetus dirigentis voluerit. ⁵ Ita et lingua modicum quidem membrum est, et magna exaltat. Ecce quantus ignis quam magnam silvam incendit ! ⁶ Et lingua ignis est, universitas iniquitatis. Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, et inflamat rotam nativitatis nostræ inflammata a gehenna. ⁷ Omnis enim natura bestiarum, et volucrum, et serpentium, et ceterorum domantur, et domita sunt a natura humana : ⁸ linguam autem nullus hominum domare potest : inquietum malum, plena veneno mortifero. ⁹ In ipsa benedicimus Deum et Patrem : et in ipsa maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt. ¹⁰ Ex ipso ore procedit benedictio et maledictio. Non oportet, fratres mei, hæc ita fieri. ¹¹ Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem et amaram aquam ? ¹² Numquid potest, fratres mei, ficus uvas facere, aut vitis ficus ? Sic neque salsa dulcem potest facere aquam.

¹³ Quis sapiens et disciplinatus inter vos ? Ostendat ex bona conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ. ¹⁴ Quod si zelum amarum habetis, et contentiones sint in cordibus vestris : nolite gloriari, et mendaces esse adversus veritatem : ¹⁵ non est enim ista sapientia desursum descendens : sed terrena, animalis, diabolica. ¹⁶ Ubi enim zelus et contentio, ibi inconstantia et omne opus pravum. ¹⁷ Quæ autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonus consentiens, plena misericordia et fructibus bonis, non iudicans, sine simulatione. ¹⁸ Fructus autem justitiæ, in pace seminatur, facientibus pacem.

Cap. 4 ¹ Unde bella et lites in vobis ? nonne hinc : ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris ? ² concupiscitis, et non habetis : occiditis, et zelatis : et

non potestis adipisci : litigatis, et belligeratis, et non habetis, propter quod non postulatis. ³ Petitis, et non accipitis : eo quod male petatis : ut in concupiscentiis vestris insumatis. ⁴ Adulteri, nescitis quia amicitia hujus mundi inimica est Dei ? quicumque ergo voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur. ⁵ An putatis quia inaniter Scriptura dicat : Ad invidiam concupiscit spiritus qui habitat in vobis ? ⁶ majorem autem dat gratiam. Propter quod dicit : Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. ⁷ Subditi ergo estote Deo, resistite autem diabolo, et fugiet a vobis.

⁸ Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis. Emundate manus, peccatores : et purificate corda, duplices animo.

⁹ Miseri estote, et lugete, et plorate : risus vester in luctum convertatur, et gaudium in mærorem.

¹⁰ Humiliamini in conspectu Domini, et exaltabit vos.

¹¹ Nolite detrahere alterutrum fratres. Qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem suum, detrahit legi, et judicat legem. Si autem judicas legem, non es factor legis, sed judex. ¹² Unus est legislator et judex, qui potest perdere et liberare.

¹³ Tu autem quis es, qui judicas proximum ? Ecce nunc qui dicitis : Hodie, aut crastino ibimus in illam civitatem, et faciemus ibi quidem annum, et mercabimur, et lucrum faciemus : ¹⁴ qui ignoratis quid erit in crastino. ¹⁵ Quæ est enim vita vestra ? vapor est ad modicum parens, et deinceps exterminabitur ; pro eo ut dicatis : Si Dominus voluerit. Et : Si vixerimus, faciemus hoc, aut illud. ¹⁶ Nunc autem exsultatis in superbiis vestris. Omnis exsultatio talis, maligna est. ¹⁷ Scienti igitur bonum facere, et non facienti, peccatum est illi.

Cap. 5 ¹ Agite nunc divites, plorate ululantes in miseriis vestris, quæ advenient vobis. ² Divitiæ vestræ putrefactæ sunt, et vestimenta vestra a tineis comesta sunt. ³ Aurum et argentum vestrum æruginavit : et ærugo eorum in testimonium vobis erit, et manducabit carnes

vestras sicut ignis. Thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus. **4** Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est a vobis, clamat : et clamor eorum in aures Domini sabbaoth introivit. **5** Epulati estis super terram, et in luxuriis enutristis corda vestra in die occisionis. **6** Addixistis, et occidistis justum, et non resistit vobis.

7 Patientes igitur estote, fratres, usque ad adventum Domini. Ecce agricola exspectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens donec accipiat temporaneum et serotinum. **8** Patientes igitur estote et vos, et confirmate corda vestra : quoniam adventus Domini appropinquavit. **9** Nolite ingemiscere, fratres, in alterutrum, ut non judicemini. Ecce iudex ante januam assistit. **10** Exemplum accipite, fratres, exitus mali, laboris, et patientiæ, prophetas qui locuti sunt in nomine Domini. **11** Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt. Sufferentiam Job audistis, et finem Domini vidistis, quoniam misericors Dominus est, et miserator.

12 Ante omnia autem, fratres mei, nolite jurare, neque per cælum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum. Sit autem sermo vester : Est, est : Non, non : ut non sub iudicio decidatis.

13 Tristatur aliquis vestrum ? oret. Æquo animo est ? psallat. **14** Infirmatur quis in vobis ? inducat presbyteros ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini : **15** et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus : et si in peccatis sit, remittentur ei. **16** Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem ut salvemini : multum enim valet deprecatio justi assidua. **17** Elias homo erat similis nobis passibilis : et oratione oravit ut non plueret super terram, et non pluit annos tres, et menses sex. **18** Et rursum oravit : et cælum dedit pluviam, et terra dedit fructum suum.

19 Fratres mei, si quis ex vobis erraverit a veritate, et converterit quis eum : **20** scire debet quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum.